



Freiherr v. Ende-Miljeswitz.

PROGRAMMA,

Quo

Magnificum Dn. RECTOREM,

omniumq; Facultatum Profesores Excellentissimi-
mos, cum primis inter Hospites cujusvis dignitatis & Ordinis desidera-
tissimos & exoptatissimos, NOBILISSIMUM CONSILIARIORUM Dicasterii,
Amplissimum Civitatis Consul, Reverendum MINISTERII, Pruden-
dentissimum SENATORUM Consesum; Omnium adeo, qui pretium
suum Eruditioni non invident praesentiam & Confluxum, juxtaq;
Nobilissimae & Cultissimae Juventutis

Academicae,

Nomine JURIDICAE FACULTATIS

JOHANNES POMERESCHIUS,

J. U. D. Profes Ordin. atque hoc tempore

DECANUS,

Ad augendam ornandamq; Inauguralis Disser-
tationis Panegyrici,

Quam

ob consequendos supremos in utroq;

Jure Honores

De

PACTIS CONTRACTUI ADJECTIS

die XVI. Septembris in Hyperoo Curiae Urbanae

Vir Clariss. & Eximius

DN. JOHANNES HERCULES,

in Regio Dicasterio Advocatus

solemni ritu habebit

eo quo decet cultu studioq; rogo & invito.



GRYPHIS WALDIÆ

Typis Jacobi Jegeri, Acad Typographi, impressam





DUM intricatissimæ
subtilitatis ex Jure Romano
de Pactis Contractui adjectis
argumentum Inaugurali
disertatione illustrandum
sibi delegit Clariss. & Exi-
mius sacrarum L.L. Candi-
datus, DN. JOHANNES HERCULES, Gryphiswal-
densis, causarum in Regio Dicasterio patronus
dignissimus, Cognatus noster dilectus, operæ
pretium fortè fuerit, prodire è Latio, & cate-
rarum quoque heic gentium populorumq; vel
suffragium vel disensum exquirere. Equidem
negari non potest, Rerumpublicarum funda-
mentum Pietatem & Justitiam esse Imperatoris
nostri judicio, Justitiæ verò fidem, ut Iulius ipse
agnoscit. Hæc verò, uti dictorum convento-
rumq; constantia est, ita eam inter sanctissima
humani generis bona Annæus collocat, vincu-
lum humanarum rerum nominat Quintilianus,
fulgentibusq; ostro regnis Poëta præfert. Quid
mirum igitur, si Romani aras Fidei templumq;
dedicaverint, & in Capitolio Jovis optimi ma-
ximi simulacro voluerint esse vicinam. Nisi
eâdem quis id factum stoliditate contendat, qua
Pallori etiam & sanctæ, si reliquis Diis placet,
Febri

Febri pulvinaria lectosq; dedicarunt. Ut verò
heic eorum merito ridemus errores, ita isthic
agnoscimus prudentiam. Natales hercle Di-
væ & beneficia ita Poëtam deprædicantem legi-
mus:

*Ante Jovem generata, decus divumq; hominumq;
Quâ sine non tellus pacem, non æquora norunt:
Justitia consors tacitumq; in pectore numen.*

Atque inde *abrogata fide humanam tolli societa-
tem* Appius Claudius in ea, quam adversus ob-
stinatam Tribunorum pervicaciam habet orati-
one, rectissimè agnoscit. Profluit exinde, ex
quovis pacto, dum deliberto proposito quis fi-
dem in re honesta alteri obstrinxit, eo quod in-
ter gentes sanctum est jure, nasci otiriq; obliga-
tionem; hoc est vinculum, quod implendi præ-
standiq; ejus, quod promissum est, infert neces-
sitatem. Agnoscit hoc Ulpianus noster, & *ni-
hil tam congruum fidei humane esse adserit, q̄
quæ semel placuerunt servare, idemq; gravè es-
se fidem fallere contendit, & cum eodem pacti
conventionisq; servandam fidem* rescribit Anto-
nius. Hinc *infirmatis violatisq; pactis tolli
inter homines commerciorum usum* Philosophus
docet, *Et non stare pactioibus indecorum ac ne-
fas, imò impium, cum, veritas ac fides, quibus
omnia transiguntur, sic veluti agantur in exiliū,*
âqua-

aquâve illis & igni immerito supplicio interdicitur. *Imò natura hunc debere, quem Jure gentium dare oportet, cujus fidem sequuti sumus, Paulus noster monet. Quin quod ea quoque Hostibus servanda sit. Hostes n. licet sint, homines esse non desinunt, nec ex cognatione, quâ natura ex Florentini nostri judicio inter omnes homines instituit, eos bella ejiciunt. Hanc societatem, ex qua obligatio pactorum descendit, natura ingeneravit, quæ Camilli generosa vox est. Locum hic invenit Pomponii regula, Jura sanguinis nullo Jure Civili dirimi posse. Inde nec fides. Sacra ergo hujus laus quoque inter hostes est, sacra inter ipsos piratas, sacra etiam & invictæ apud malos autoritatis, utpote quæ inter armatos hostes inducias facit, quæ deditarum civitatum jura conservat, ut nobilissimus dicendi artifex declamat. Si ad sacrum Jus atque leges imus, patebit illico, ut impleantur pacta, servetque quisque quod promissum est, ex natura immutabilis Justitiæ venire, quod DEO ipsi & omnibus ratione utentibus communis quodammodo videtur Non advocabimus huc sapiens monitum Salomonis: Fili mi, si quid spondisti alteri, defixisti externo volas tuas, illaqueatus es verbis oris tui, captus es enunciationibus oris tui. Æternum illud neque mutabile neque interitum Numen, DEUM ipsum,*

ipsum, q̄ omni lege superior & solutus est, contra naturam ac Divinæ, quam ne cogitando quidem satis adsequimur Justitiæ ac æqtatis suæ immensæ indolem facturum, nisi præstet pacta servetq; promissum, Baldus noster adserere nō dubitavit. In quam rem illustria exstant, & in veteri & novo fœdere oracula. Hæc cum ita se habeant, inq; iis conspiraverit omniū gentium consensus, miratio meritò subit, cur XII. tabularum legibus, quas omnibus Bibliothecis anteponendas censuit Tullius, finem æqui juris aŋglicum scriptor appellat, quibusq; conditis benè prospectum humano generi Imperator noster asserit, Pactis promissisq; extra paucissima capita, obligatio implendiq; necessitas vel nō indulta, vel tacitè adempta fuerit. An lubricum sæpè lingvæ consiliive Juris necessitate constringi inhumanum censuerūt, hincq; ne de animi proposito ambiguitas esset, solemnī stipulandi ritu firmandam voluerunt pactionem? Ita quidem simplex promissum pactumve interpretationis dubiæ erit, & an ex animi sententia profectum fuerit, anceps semper incertumq;, stipulationis ex adverso firma & inconcussa fides erit. Trahi isthuc fortean poterunt illa Euclionis apud Comicum ad Megadorum: *Scio quo vos soleatis pacto perplexarier. Pactum non pactum est; nō pactum*

pactum pactum est, quod vobis lubet. Ergò quod apud Livium culpatur, nunquam causa deficiet, cur pacto non stetur fraudiq; etiam species Juris imponi poterit. Verùm si huic subscribimus adsertioni, non minor ex adverso difficultas orietur. Quod si enim deliberati animi signo destituitur pactum, idq; Romanæ leges crediderunt, quâ æquitate justitiave edictum de pactis magister supplendi corrigendiq; Juris Civilis Prætor proposuit, & si non actionis Jus, exceptionis beneficium indulsit, hoc est civile vinculum sustulit? *Desinit enim, ut ait Marcellus, debitor esse is, qui nactus est exceptionem justam nec ab æquitate naturali abhorrentem.* Quamvis enim fiducia ingenii ac eruditionis, quam in celeberrimo Viro, præter amicitiam nobis cum eo apud Batavos contractam, meritò agnoscimus ac veneramur, convellere communem hætenus sententiam *Jacobus Meffertius*, & ex edicto Prætoris paciscentibus etiam agendi vim adferere annisus sit, frustra tamen fuit; uti magnum illud Jurisprudentiæ nostræ non solum, sed & Argentinæ, nunc novum Megapoleos & in proximo lumen, ac eruditionis divinæ humanæq; antistes *Job. Otto Tabor* eleganter graviterq; docuit. An verò, ut ad pactorum nos iterum fidem atque vim convertamus, illa Juris Civilis fuit subtilitas, ut hoc potius sciamus caruisse agendi vinculo pacta, quam cur id negatum fuerit liceat dicere? An verius abditæ hic Legum sensus, inquirere anceps nec ideò adsequare, maximè cum non omnium quæ à majoribus constituta sunt, juxta Julianum ratio reddi possit, imò nec inquire, monitore Neratio oporteat, ne multa ex his, quæ certa sunt, subvertantur. Novimus Aquiliana formula opus fuisse, ut quæ re, consensu ve,
nata

nata erat obligatio acceptilatione tolleretur, & an pacto dissolveretur creditoris vinculum dubitatum. Jus gentium, si non miseram, certè nimiam & supervacaneam hanc existimat legum diligentiam cum Lucio Titio, & pro Jure legitimo habet hominis sanæ voluntatem. Ideoq; indiscriminatim pactis agendi vim tribuit, sive Contractibus in continenti sive intercedente temporis spatio adjiciantur. Ne quidem inter BONÆ Fidei & STRICTI Juris conventiones distinguit. Hinc magno Interpretum consensu traditum est, omnes illas in foro gentium BONÆ FIDEI esse, & adurgere supra illam Juris Civilis subtilitatem, imprimis ex publico causâ, ut ait Ulpianus, initas. A quibus omnibus abijt Jurisprudencia Romana, dum & pacto, quod vel contractu vel lege non vallatum est, actionem denegat, varieq; hic, mox inter bonæ fidei & stricti Juris contractus, mox inter ea pacta, quæ vel in continenti, vel ex intervallo his accedunt, distinguit. Fusius illas solvit difficultates Inauguralis hæc CANDIDATI nostri Dissertatio, ad quem nobis postliminio veluti nunc est redeundum. Positis ille heic in patria sua feliciter pietatis & literarum rudimentis, in celebri Gymnasio Gedanensi, sub CL. Viris, eloquentiæ ac historiarum studiis adolescentiam primamq; Juventam summo ardore dedicavit, doctore imprimis usus, eruditionis in omni literarum genere subactissimæ ac celebratissimæ Viro, JOH. RAVIO. Inde elegans erectumq; ingenium ad Jurisprudenciam convertit, cujus post prima hausta fundamenta magistræ sedemq; studiorum Academiam Regiomontanam elegit. In qua non pernitioso in publicum more, magnifico nomine segne otium
textit,



textit, aut quod atrocius lasciviâ computationibus, alea pugnâs scedavit. Eum se publicis privatisq; Doctoribus probare, semper annisus est, quem ob morum innocentiam, ac eruditionis cultum amore dignum æstimarent. Reversus inde in patriam non privatim solùm sedulus, sed in publicis Academiarum subselliis aliis industriæ modestiæq; exemplum fuit. Vix quisquam illo majori ardore ac studio sæpiusq; in Cathedris disputationumq; publicarum rostris visus, sive propugnandæ essent, sive in controversiam vocandæ Actorum sententiæ, æqui justiq; regulæ. Testantur id Disertationes publicæ, imprimis duæ, quas de Consecratione Principum Romanorum ex Jure, antiquitate, Historicis ac Civili prudentia concinnatas hîc publicè habuit. Quo cum pulcherrimo ingenii eruditionisq; monumento ad exteras Academias digressus, magnorum quorumvis celeberrimorumq; Virorum notitiam meruit affectumq; sibi oppignoravit. Francofurti famigeratissimo Jcto BRUNNEMANNO, Witebergæ, ne de Antecessoribus Juris dicam, eloquentiæ ac humanitatis unico in Germania fere ornamento AUGUSTO BUCHNERO, Lipsiæ CARPZOVIO Legum ac Fori Oraculo, Jenæ excellentissimis UNGEPAURO, RICHTERO, STRUVIO, amori ac æstimationi fuit. Altorfi verò Noricorum longius eum detinuit celebritas loci & geminum illud Jurisprudentiæ decus LUDEVELLUS & NICOLAUS, CONRADI Viri maximi F. RITTERSHUSIUS. Quorum alterius redevivi veluti Scævolæ mensâ, ac veluti contubernio, alterius amicitia & conversatione habitus dignus, ab utrisq; quod deerat hætenus in Jure, felicissimè supplevit. Inde cum ante annû, & quod excedit, reverteretur in Patriam, verâ eruditione nixus, non quæ fucosæ aut inani ostentatione & arrogantia effert, facile, & à Facultate Juridica privatim Jurisprudentiæ rudimenta nobiles lectissimosq; Juvenes docendi, indulgentiam impetravit, & in REGIO DICASTERIO à Nobilissimis Dn. CONSILIARIIS Advocati locum obtinuit. Sed præfiscine hæc dicantur, ne nobis forsân & in disciplinæ nostræ alumni, & cognatione juncti fusius euntibus commendationem, livor obstrepat. Unum superest, ut eruditionem & in examinibus rigerosis, & in lectionibus publicis cursoriis, in quibus COLLOCATIONEM LICITI & HONESTI ex l. l. §. 3. de pericul. & commod. rei vend. pertractavit, abundè probatam, in Augurali hac Disertatione palàm exferat. Ad quam illustriori Panegyri solenni q; ex templo Nicolaitano in Hyperorum Curia 16. hujus mensis deductione, comitatu & præsentia hora 8. ornandam, Magni. Dn. RECTOREM, cæterosq; Profesores Clarissimos, præprimis verò in Hospitum Honoratissimorum Ordine, Nobiliss. Dicasterii Regii CONSILIARIOS, Ampliss. CONSULES, Verbi Divini DOCTORES Venerandos, SENATORES prudentissimos, omnesq; adeò Eruditionem æstimantes, unâ cum Nobilissima Præstantissimaq; Juventute, Academiæ sobole lectissima, qua possumus animi observantia, officiorumq; nostrorum Sponsione invitamus. P. P. sub Sigillo Facultatis Juridicæ XIV.

Septembris Anno 1656.

L. S.



99 A 6917

ULB Halle

3


002 546 884



Handwritten mark

VJ 17 Retro ✓





PROGRAMMA,

Quo

Magnificum Dn. RECTOREM,

omniumq; Facultatum Profesores Excellentissimos, cum primis inter Hospites cujusvis dignitatis & Ordinis desideratissimos & exoptatissimos, NOBILISSIMUM CONSILIARIORUM Dicasterii, Amplissimum Civitatis Consulum, Reverendum MINISTERII, Prudentissimum SENATORUM Consesum; Omnium adeo, qui pretium suum Eruditioni non invident praesentiam & Confluxum, juxtimq;

Nobilissimae & Cultissimae Juventutis

Academicae,

Nomine JURIDICAE FACULTATIS

JOHANNES POMERESCHIUS,

J. U. D. Profess. Ordin. atque hoc tempore

DECANUS,

Ad augendam ornandamq; Inauguralis Dissertationis Panegyricae,

Quam

ob consequendos supremos in utroq;

Jure Honores

De

PACTIS CONTRACTUI ADJECTIS

die XVI. Septembris in Hyperoo Curiae Urbanae

Vir Clariss. & Eximius

DN. JOHANNES HERCULES,

in Regio Dicasterio Advocatus

solemni ritu habebit

eo quo decet cultu studioq; rogo & invito.



GRYPHIS WALDIÆ

Typis Jacobi Jegeri, Acad Typographi, impressam

